



## 30th Latin Summer School

January 2023

Class 4 vi

Tutor:

Bob Cowan

## Horace *Epodes*: Bob Cowan

Before he became the Roman Alcaeus, affably plucking the day and urging moderation to his fellow symposiasts in the *Odes*, Horace adopted a much more aggressive and uncompromising persona in his earlier *Epodes* as the Roman Archilochus.

Archilochus, along with Hipponax and Semonides, was the most famous writer of the genre of iambos in Archaic Greece. Iambos was characterized, not so much by iambic metre (which it did not always have), but by its ethos, style, and subject-matter: bitter invective against personal enemies and social deviants, with a frequent focus on sexual and other bodily matters, expressed in often obscene language, emphasizing ugliness, grotesquery, and perversion, designed to expose its targets to public derision. So vituperative were iambic poets' attacks that the (almost certainly apocryphal) biographical tradition claimed they drove their targets to suicide: Archilochus taking vengeance against Lycambes and his daughters, who had reneged on a marriage contract with him, Hipponax adopting an unCromwellian attitude towards the sculptor Bupalus for producing a warts-and-all likeness of the ugly poet. The use of blame (*psogos*) is often seen as performing an important function in reinforcing and policing moral and social values, by exposing transgressors to non-violent ridicule and providing a deterrent to others. Yet, the writers of iambos are often depicted in the ancient tradition as uncontrolled, excessive ranters, who themselves transgress normative social boundaries in the extremity of their abuse. Both these attitudes towards Archaic iambos and its practitioners are important and influential in Catullus' appropriation of the Archilochean persona, and perhaps even moreso in Horace's *Epodes*.

The *Epodes* were probably published around 30 BCE, but many were written in the course of the decade preceding. That decade was one of immense social and political tension, breaking out into frequent crises, climaxing in the great battle of Actium, which is the backdrop of *Epod.* 1 and 9, and which hangs over much of the rest of the collection. The politics of iambos are most obviously prominent, not only in these Actium poems, but in the more despairing civil war poems, 7 and 16. Yet, politics in the wider sense pervades the collection, as the threats to society from all sides—witches, *nouveaux riches*, bad poets, even other iambists—are attacked and, often ineffectually, fended off. At the same time, the iambic persona reflects on its own problematic status, as it is disturbingly similar to its aggressive, destructive, sexually rapacious targets. 'Horace' (as I shall call the persona, for want of an obvious alternative) is ambivalent, not only about the moral authority of his iambic role, but about his ability to maintain it. Much of the collection is about trying and (deliberately) failing to play the role of Archilochus, which is fundamentally unsuited to his underlying principle of moderation. This unravelling of the iambic project becomes increasingly noticeable from *Epod.* 11 onwards, where the purely iambic metre of the preceding poems (trimeter+dimeter) becomes infected by elegiac and other elements, just as the softer erotic themes of elegy begin to undermine the hypermasculine aggression of iambos.

The *Epodes* are a wildly entertaining and varied collection, from the obscene insults aimed at a stereotypically oversexed older woman to the heartfelt anguish at Rome's recurrent descent into civil war, from a terrifying depiction of ritual child-murder by a coven of witches to Horace's hyperbolic outrage at being served a meal with too much garlic in it. The collection has something for everyone, but the easily offended should be warned that some of the poems do contain explicit sexual content.

There are excellent modern commentaries on the *Epodes* by David Mankin (Cambridge 1995) and the University of Sydney's own Lindsay Watson (Oxford 2003). If you are using an older commentary, such as that of Page, be aware that many of the more obscene passages may be bowdlerized or simply omitted. There is a lot of excellent scholarship on the *Epodes*, too much to list here, but I am very happy to suggest items to those who are interested. Just drop me an email.

One last thing: the *Epodes* is the perfect length for us to read in a week and I thought it would be immensely satisfying to have read a complete poetry book. However, the vigilant and the nervous among you may notice a higher page- and line-count than is usual for a level 4 class at the Sydney Latin Summer School. This is because the iambic trimeters and dimeters which are the collection's main metres (as well as the others in the later epodes) are far shorter than the hexameters and elegiacs that we usually read. As a more meaningful indicator, I have counted the number of *words* we will be reading and it is almost exactly the same as for the 400-odd hexameters that we usually cover. So, keep calm and read the *Epodes*. Can't wait to see you—and almost certainly in person!—in January.

## Monday

### *Epode 1*

*A friendly note to Maecenas before the Battle of Actium*

Ibis Liburnis inter alta navium,  
    amice, propugnacula,  
paratus omne Caesaris periculum  
    subire, Maecenas, tuo:  
quid nos, quibus te vita si superstite,                   5  
    iucunda, si contra, gravis?  
utrumne iussi persequemur otium  
    non dulce, ni tecum simul,  
an hunc laborem, mente laturo decet  
    qua ferre non mollis viros?                           10  
feremus et te vel per Alpium iuga  
    inhospitalem et Caucasum  
vel occidentis usque ad ultimum sinum  
    forti sequemur pectore.  
roges, tuum labore quid iuvem meo                   15  
    inbellis ac firmus parum?  
comes minore sum futurus in metu,  
    qui maior absentis habet,  
ut adsidens inplumibus pullis avis  
    serpentium adlapsus timet,                           20  
magis relictis, non, ut adsit, auxili  
    latura plus praesentibus.  
libenter hoc et omne militabitur  
    bellum, in tuae spem gratiae,  
non ut iuvenis inligata pluribus                   25  
    aratra nitantur meis  
pecusve Calabris ante sidus fervidum  
    Lucana mutet pascuis  
neque ut superni villa candens Tusculi  
    Circaea tangat moenia.                           30  
satis superque me benignitas tua  
    ditavit, haud paravero  
quod aut avarus ut Chremes terra premam,  
    discinctus aut perdam nepos.

## **Epode 2**

*A paean to the joys of country life—or is it? Look out for the biggest twist in Latin poetry...*

Beatus ille qui procul negotiis,  
ut prisca gens mortalium,  
paterna rura bobus exercet suis  
solutus omni faenore  
neque excitatur classico miles truci           5  
neque horret iratum mare  
forumque vitat et superba civium  
potentiorum limina.  
ergo aut adulta vitium propagine  
altas maritat populos           10  
aut in reducta valle mugientium  
prospectat errantis greges  
inutilis falce ramos amputans  
feliciores inserit  
aut pressa puris mella condit amphoris       15  
aut tondet infirmas ovis.  
vel cum decorum mitibus pomis caput  
Autumnus agris extulit,  
ut gaudet insitiva decerpens pira  
certantem et uvam purpurae,           20  
qua muneretur te, Priape, et te, pater  
Silvane, tutor finium.  
libet iacere modo sub antiqua ilice,  
modo in tenaci gramine:  
labuntur altis interim ripis aquae,           25  
queruntur in silvis aves  
fontesque lymphis obstrepunt manantibus,  
somnia quod invitet levis.  
at cum tonantis annus hibernus Iovis  
imbris nivisque comparat,           30  
aut trudit acris hinc et hinc multa cane  
apros in obstantis plagas  
aut amite levi rara tendit retia  
turdibus edacibus dolos  
pavidumque leporem et advenam laqueo gruem   35  
iucunda captat praemia.  
quis non malarum quas amor curas habet  
haec inter obliviscitur?  
quodsi pudica mulier in partem iuvenet  
domum atque dulcis liberos,           40  
Sabina qualis aut perusta solibus

pernicis uxor Apuli,  
 sacrum vetustis exstruat lignis focum  
 lassi sub adventum viri  
 claudensque textis cratibus laetum pecus      45  
 distenta siccet ubera  
 et horna dulci vina promens dolio  
 dapes inemptas adparet:  
 non me Lucrina iuverint conchylia  
 magisve rhombus aut scari,                      50  
 siquos Eois intonata fluctibus  
 hiems ad hoc vertat mare,  
 non Afra avis descendat in ventrem meum,  
 non attagen Ionicus  
 iucundior quam lecta de pinguissimis      55  
 oliva ramis arborum  
 aut herba lapathi prata amantis et gravi  
 malvae salubres corpori  
 vel agna festis caesa Terminalibus  
 vel haedus ereptus lupo.                      60  
 has inter epulas ut iuvat pastas ovis  
 videre properantis domum,  
 videre fessos vomerem inversum boves  
 collo trahentis languido  
 positosque vernas, ditis examen domus,      65  
 circum renidentis Lares.—  
 haec ubi locutus faenerator Alfius,  
 iam iam futurus rusticus,  
 omnem redegit idibus pecuniam,  
 quaerit kalendis ponere.                      70

### ***Epode 3***

*A little too much garlic, sir? No need to overreact!*

Parentis olim siquis inopia manu  
 senile guttur fregerit,  
 edit cicutis alium nocentius.  
 o dura messorum ilia.  
 quid hoc veneni saevit in praecordiis?      5  
 num viperinus his cruor  
 incoctus herbis me fefellit? an malas  
 Canidia tractavit dapes?  
 ut Argonautas praeter omnis candidum  
 Medea mirata est ducem,                      10

ignota tauris inligaturum iuga  
 perunxit hoc Iasonem,  
 hoc delibutis ulta donis paelicem  
 serpente fugit alite.  
 nec tantus umquam siderum insedit vapor 15  
 siticulosae Apuliae  
 nec munus umeris efficacis Herculis  
 inarsit aestuosius.  
 at siquid umquam tale concupiveris,  
 iocose Maecenas, precor, 20  
 manum puella savio opponat tuo  
 extrema et in sponda cubet.

## Tuesday

### *Epode 4*

*Enemies till death!*

Lupis et agnis quanta sortito obtigit,  
 tecum mihi discordia est,  
 Hibericis peruste funibus latus  
 et crura dura compede.  
 licet superbus ambules pecunia, 5  
 fortuna non mutat genus.  
 videsne, sacram metiente te viam  
 cum bis trium ulnarum toga,  
 ut ora vertat huc et huc euntium  
 liberrima indignatio? 10  
 ‘sectus flagellis hic triumviralibus  
 praeconis ad fastidium  
 arat Falerni mille fundi iugera  
 et Appiam mannis terit  
 sedilibusque magnus in primis eques 15  
 Othone contempto sedet.  
 quid attinet tot ora navium gravi  
 rostrata duci pondere  
 contra latrones atque servilem manum  
 hoc, hoc tribuno militum?’ 20

### **Epode 5**

*A chilling (or, some claim, hilarious) depiction of witchcraft, murder, and a turning of the tables.*

‘At o deorum quidquid in caelo regit  
terras et humanum genus,  
quid iste fert tumultus? aut quid omnium  
vultus in unum me truces?  
per liberos te, si vocata partibus 5  
Lucina veris adfuit,  
per hoc inane purpurae decus precor,  
per inprobaturum haec Iovem,  
quid ut noverca me intueris aut uti  
petita ferro belua?’ 10  
ut haec trementi questus ore constitit  
insignibus raptis puer,  
inpube corpus, quale posset in pia  
mollire Thracum pectora,  
Canidia brevibus implicata viperis 15  
crinis et incomptum caput  
iubet sepulcris caprificos erutas,  
iubet cupressos funebris  
et uncta turpis ova ranae sanguine  
plumamque nocturnae strigis 20  
herbasque quas Iolcos atque Hiberia  
mittit venenorum ferax,  
et ossa ab ore rapta ieiunae canis  
flammis aduri Colchicis.  
at expedita Sagana per totam domum 25  
spargens Avernalis aquas  
horret capillis ut marinus asperis  
echinus aut currens aper.  
abacta nulla Veia conscientia  
ligonibus duris humum 30  
exhauriebat, ingemens laboribus,  
quo posset infossus puer  
longo die bis terque mutatae dapis  
inemor spectaculo,  
cum promineret ore, quantum exstant aqua 35  
suspensa mento corpora;  
exsecta uti medulla et aridum iecur  
amoris esset poculum,  
interminato cum semel fixae cibo  
intabuissent pupulae. 40  
non defuisse masculae libidinis



Ariminensem Foliam  
 et otiosa credidit Neapolis  
 et omne vicinum oppidum,  
 quae sidera excantata voce Thessala 45  
 lunamque caelo deripit.  
 hic inresectum saeva dente livido  
 Canidia rodens pollicem  
 quid dixit aut quid tacuit? 'o rebus meis  
 non infideles arbitrae, 50  
 Nox et Diana, quae silentium regis,  
 arcana cum fiunt sacra,  
 nunc, nunc adeste, nunc in hostilis domos  
 iram atque numen vertite.  
 formidulosi dum latent silvis ferae 55  
 dulci sopore languidae,  
 senem, quod omnes rideant, adulterum  
 latrent Suburanae canes  
 nardo perunctum, quale non perfectius  
 meae laborarint manus. 60  
 quid accidit? cur dira barbarae minus  
 venena Medae valent,  
 quibus superbam fugit ultra paelicem,  
 magni Creontis filiam,  
 cum palla, tabo munus inbutum, novam 65  
 incendio nuptam abstulit?  
 atqui nec herba nec latens in asperis  
 radix fefellit me locis:  
 indormit unctis omnium cubilibus  
 oblivione paelicum. 70  
 a a, solutus ambulat veneficae  
 scientioris carmine.  
 non usitatis, Vare, potionibus,  
 o multa fleturum caput,  
 ad me recurre nec vocata mens tua 75  
 Marsis redibit vocibus:  
 maius parabo, maius infundam tibi  
 fastidienti poculum,  
 priusque caelum sidet inferius mari  
 tellure porrecta super, 80  
 quam non amore sic meo flagres uti  
 bitumen atris ignibus.'  
 sub haec puer iam non, ut ante, mollibus  
 lenire verbis inpias,  
 sed dubius unde rumperet silentium, 85

misit Thyesteas preces:  
 ‘venena magnum fas nefasque, non valent  
 convertere humanam vicem.  
 diris agam vos: dira detestatio  
 nulla expiatur victima. 90  
 quin, ubi perire iussus exspiravero,  
 nocturnus occurram furor  
 petamque voltus umbra curvis unguibus,  
 quae vis deorum est Manium,  
 et inquietis adsidens praecordiis 95  
 pavore somnos auferam.  
 vos turba vicitim hinc et hinc saxis petens  
 contundet obscaenas anus.  
 post insepulta membra different lupi  
 et Esquilinae alites 100  
 neque hoc parentes, heu mihi superstites,  
 effugerit spectaculum.’

### ***Epode 6***

*Pick on someone your own size! A challenge to another iambist.*

Quid inmerentis hospites vexas canis,  
 ignavus adversum lupos?  
 quin huc inanis, si potes, vertis minas  
 et me remorsurum petis?  
 nam qualis aut Molossus aut fulvos Lacon, 5  
 amica vis pastoribus,  
 agam per altas aure sublata nivis,  
 quaecumque praecedet fera;  
 tu, cum timenda voce complesti nemus,  
 proiectum odoraris cibum. 10  
 cave cave, namque in malos asperrimus  
 parata tollo cornua,  
 qualis Lycambae spretus infido gener  
 aut acer hostis Bupalos.  
 an si quis atro dente me petiverit, 15  
 inultus ut flebo puer?

## Wednesday

### *Epode 7*

*A plea to fellow-Romans not to descend into civil war again*

Quo, quo scelesti ruitis? aut cur dexteris  
    aptantur enses conditi?  
parumne campis atque Neptuno super  
    fusum est Latini sanguinis,  
non ut superbas invidae Karthaginis         5  
    Romanus arces ureret  
intactus aut Britannus ut descenderet  
    sacra catenatus via,  
sed ut secundum vota Parthorum sua  
    urbs haec periret dextera?                 10  
neque hic lupis mos nec fuit leonibus  
    umquam nisi in dispar feris.  
furore caecus an rapit vis acrior  
    an culpa? responsum date.  
tacent et albus ora pallor inficit             15  
    mentesque percussae stupent.  
sic est: acerba fata Romanos agunt  
    scelusque fraternae necis,  
ut inmerentis fluxit in terram Remi  
    sacer nepotibus cruor.                     20

### *Epode 8*

*No means no. Especially to you.*

Warning: this *Epode* contains explicit content.

Rogare longo putidam te saeculo,  
    viris quid enervet meas,  
cum sit tibi dens ater et rugis vetus  
    frontem senectus exaret  
hietque turpis inter aridas natis         5  
    podex velut crudae bovis.  
sed incitat me pectus et mammae putres,  
    equina quales ubera,  
venterque mollis et femur tumentibus  
    exile suris additum.                     10  
esto beata, funus atque imagines  
    ducant triumphales tuum  
nec sit marita quae rotundioribus  
    onusta bacis ambulet.

quid, quod libelli Stoici inter Sericos 15  
 iacere pulvillos amant:  
 inlitterati num minus nervi rigent  
 minusve languet fascinum?  
 quod ut superbo provocas ab inguine,  
 ore adlaborandum est tibi. 20

### ***Epode 9***

*Nunc est bibendum? Another party to celebrate Actium.*

Quando repostum Caecubum ad festas dapes  
 victore laetus Caesare  
 tecum sub alta—sic Iovi gratum—domo,  
 beate Maecenas, bibam  
 sonante mixtum tibiis carmen lyra, 5  
 hac Dorium, illis barbarum?  
 ut nuper, actus cum freto Neptunius  
 dux fugit ustis navibus  
 minatus urbi vincla, quae detraxerat  
 servis amicus perfidis. 10  
 Romanus eheu—posterī negabitis—  
 emancipatus feminae  
 fert vallum et arma miles et spadonibus  
 servire rugosis potest  
 interque signa turpe militaria 15  
 sol adspicit conopium.  
 at huc frementis verterunt bis mille equos  
 Galli canentes Caesarem  
 hostiliumque navium portu latent  
 puppes sinistrorsum citae. 20  
 io Triumphe, tu moraris aureos  
 currus et intactas boves?  
 io Triumphe, nec Iugurthino parem  
 bello reportasti ducem  
 neque Africanum, cui super Carthaginem 25  
 virtus sepulcrum condidit.  
 terra marique victus hostis punico  
 lugubre mutavit sagum,  
 aut ille centum nobilem Cretam urbibus  
 ventis iturus non suis, 30  
 exercitatas aut petit Syrtis Noto  
 aut fertur incerto mari.  
 capaciores adfer huc, puer, scyphos

et Chia vina aut Lesbia,  
vel quod fluentem nauseam coerceat        35  
metire nobis Caecubum.  
curam metumque Caesaris rerum iuvat  
dulci Lyaeo solvere.

### ***Epode 10***

*A curse on an enemy.*

Mala solute navis exit alite  
ferens olentem Mevium.  
ut horridis utrumque verberes latus,  
Auster, memento fluctibus;  
niger rudentis Euris inverso mari        5  
fractosque remos differat;  
insurgat Aquilo, quantus altis montibus  
frangit trementis ilices;  
nec sidus atra nocte amicum adpareat,  
qua tristis Orion cadit;                    10  
quietiore nec feratur aequore  
quam Graia victorum manus,  
cum Pallas usto vertit iram ab Ilio  
in inpiam Aiakis ratem.  
o quantus instat navitis sudor tuis        15  
tibi que pallor luteus  
et illa non virilis heulatio  
preces et aversum ad Iovem,  
Ionius udo cum remugiens sinus  
Noto carinam ruperit.                    20  
opima quodsi praeda curvo litore  
porrecta mergos iuverit,  
libidinosus immolabitur caper  
et agna Tempestatibus.

### ***Epode 11***

*A shift in metre and subject-matter: love, iambos-style.*

Petti, nihil me sicut antea iuvat  
scribere versiculos amore percussus gravi,  
amore, qui me praeter omnis expetit  
mollibus in pueris aut in puellis urere.  
hic tertius December, ex quo destiti        5  
Inachia furere, silvis honorem decutit.

heu me, per urbem—nam pudet tanti mali—  
 fabula quanta fui, conviviorum et paenitet,  
 in quis amantem languor et silentium  
 arguit et latere petitus imo spiritus. 10  
 ‘contrane lucrum nil valere candidum  
 pauperis ingenium’ querebar adplorans tibi,  
 simul calentis inverecundus deus  
 fervidiore mero arcana promorat loco.  
 ‘quodsi meis inaestuet praecordiis 15  
 libera bilis, ut haec ingrata ventis dividat  
 fomenta volnus nil malum levantia,  
 desinet imparibus certare summotus pudor.’  
 ubi haec severus te palam laudaveram,  
 iussus abire domum ferebar incerto pede 20  
 ad non amicos heu mihi postis et heu  
 limina dura, quibus lumbos et infregi latus.  
 nunc gloriantis quamlibet mulierculam  
 vincere mollitia amor Lycisci me tenet;  
 unde expedire non amicorum queant 25  
 libera consilia nec contumeliae graves,  
 sed alius ardor aut puellae candidae  
 aut teretis pueri longam renodantis comam.

## Thursday

### *Epode 12*

*Insulting the older woman again, but this time she gets to respond.*

Quid tibi vis, mulier nigris dignissima barris?  
 munera quid mihi quidve tabellas  
 mittis nec firmo iuveni neque naris obesae?  
 namque sagacius unus odoror,  
 polypus an gravis hirsutis cubet hircus in alis, 5  
 quam canis acer ubi lateat sus.  
 qui sudor vietis et quam malus undique membris  
 crescit odor, cum pene soluto  
 indomitam properat rabiem sedare neque illi  
 iam manet umida creta colorque 10  
 stercore fucatus crocodili iamque subando  
 tenta cubilia tectaque rumpit,  
 vel mea cum saevis agitat fastidia verbis:  
 ‘Inachia langues minus ac me;  
 Inachiam ter nocte potes, mihi semper ad unum 15

mollis opus. pereat male quae te  
 Lesbia quaerenti taurum monstravit inertem,  
 cum mihi Cous adesset Amyntas,  
 cuius in indomito constantior inguine nervus  
 quam nova collibus arbor inhaeret. 20  
 muricibus Tyriis iteratae vellera lanæ  
 cui properabantur? tibi nempe,  
 ne foret aequalis inter conviva, magis quem  
 diligeret mulier sua quam te.  
 o ego non felix, quam tu fugis, ut pavet acris 25  
 agna lupos capreaeque leones.'

### ***Epode 13***

*Sympotic reminiscences of Achilles and Chiron.*

Horrida tempestas caelum contraxit et imbres  
 nivesque deducunt Iovem; nunc mare, nunc silvae  
 Threicio Aquilone sonant. rapiamus, amici,  
 occasionem de die, dumque virent genua  
 et decet, obducta solvatur fronte senectus. 5  
 tu vina Torquato move consule pressa meo.  
 cetera mitte loqui: deus haec fortasse benigna  
 reducet in sedem vice. nunc et Achaemenio  
 perfundi nardo iuvat et fide Cyllenaea  
 levare diris pectora sollicitudinibus, 10  
 nobilis ut grandi cecinit Centaurus alumno:  
 'invicte, mortalis dea nate puer Thetide,  
 te manet Assaraci tellus, quam frigida parvi  
 findunt Scamandri flumina lubricus et Simois,  
 unde tibi reditum certo subtemine Parcae 15  
 rupere, nec mater domum caerulea te revehet.  
 illic omne malum vino cantuque levato,  
 deformis aegrimoniae dulcibus adloquiiis.'

### ***Epode 14***

*Running out of steam with iambs.*

Mollis inertia cur tantam diffuderit imis  
 oblivionem sensibus,  
 pocula Lethaeos ut si ducentia somnos  
 arente fauce traxerim,  
 candide Maecenas, occidis saepe rogando: 5  
 deus, deus nam me vetat  
 inceptos olim, promissum carmen, iambs

ad umbilicum adducere.  
 non aliter Samio dicunt arsisse Bathyllo  
 Anacreonta Teium, 10  
 qui persaepe cava testudine flevit amorem  
 non elaboratum ad pedem.  
 ureris ipse miser. quodsi non pulcrior ignis  
 accendit obsessam Ilion,  
 gaude sorte tua: me libertina nec uno 15  
 contenta Phryne macerat.

### ***Epode 15***

*Love again—are you sure this is iambo?*

Nox erat et caelo fulgebat Luna sereno  
 inter minora sidera,  
 cum tu, magnorum numen laesura deorum,  
 in verba iurabas mea,  
 artius atque hedera procera adstringitur ilex 5  
 lentis adhaerens bracchiis,  
 dum pecori lupus et nautis infestus Orion  
 turbaret hibernum mare  
 intonsosque agitare Apollinis aura capillos,  
 fore hunc amorem mutuum, 10  
 o dolitura mea multum virtute Neaera:  
 nam siquid in Flacco viri est,  
 non feret adsiduas potiori te dare noctes  
 et quaeret iratus parem,  
 nec semel offensi cedet constantia formae, 15  
 si certus intrarit dolor.  
 et tu, quicumque es felicior atque meo nunc  
 superbus incedis malo,  
 sis pecore et multa dives tellure licebit  
 tibi que Pactolus fluat 20  
 nec te Pythagorae fallant arcana renati  
 formaque vincas Nirea,  
 heu heu, translatos alio maerebis amores,  
 ast ego vicissim risero.



### ***Epode 16.1–34***

*Civil War again! Let's flee to the Isles of the Blest!*

Altera iam teritur bellis civilibus aetas,  
suis et ipsa Roma viribus ruit.  
quam neque finitimi valuerunt perdere Marsi  
minacis aut Etrusca Porsenae manus  
aemula nec virtus Capuae nec Spartacus acer       5  
novisque rebus infidelis Allobrox,  
nec fera caerulea domuit Germania pube  
parentibusque abominatus Hannibal:  
inopia perdemus devoti sanguinis aetas  
ferisque rursus occupabitur solum;               10  
barbarus heu cineres insistet victor et urbem  
eques sonante verberabit ungula;  
quaeque carent ventis et solibus ossa Quirini,  
—nefas videre—dissipabit insolens.  
forte quid expediat communiter aut melior pars,   15  
malis carere quaeritis laboribus.  
nulla sit hac potior sententia: Phocaeorum  
velut profugit exsecrata civitas  
agros atque lares patrios, habitandaque fana  
apris reliquit et rapacibus lupis,               20  
ire, pedes quocumque ferent, quocumque per undas  
Notus vocabit aut protervos Africus.  
sic placet? an melius quis habet suadere? secunda  
ratem occupare quid moramur alite?  
sed iuremus in haec: simul imis saxa renarint   25  
vadis levata, ne redire sit nefas;  
neu conversa domum pigeat dare lintea, quando  
Padus Matina laverit cacumina,  
im mare seu celsus procurrerit Appenninus  
novaque monstra iunxerit libidine               30  
mirus amor, iuuet ut tigris subsidere cervis,  
adulteretur et columba miluo,  
credula nec ravos timeant armenta leones  
ametque salsa levis hircus aequora.

## Friday

### ***Epode 16.35–66***

*Isles of the Blest continued.*

haec et quae poterunt reditus abscindere dulcis 35  
eamus omnis exsecrata civitas,  
aut pars indocili melior grege; mollis et exspes  
inominata perpremat cubilia.  
vos, quibus est virtus, muliebrem tollite luctum,  
Etrusca praeter et volate litora. 40  
nos manet Oceanus circumvagus: arva beata  
petamus, arva divites et insulas,  
reddit ubi cererem tellus inarata quotannis  
et inputata floret usque vinea,  
germinat et numquam fallentis termes olivae 45  
suamque pulla ficus ornat arborem,  
mella cava manant ex ilice, montibus altis  
levis crepante lympa desilit pede.  
illic iniussae veniunt ad mulctra capellae  
refertque tenta grex amicus ubera, 50  
nec vespertinus circumgemit ursus ovile  
nec intumescit alta viperis humus;  
nulla nocent pecori contagia, nullius astri 61  
gregem aestuosa torret inpotentia.  
pluraque felices mirabimur, ut neque largis 53  
aquosus Eurus arva radat imbribus,  
pinguia nec siccis urantur semina glaebis, 55  
utrumque rege temperante caelitem.  
non huc Argoo contendit remige pinus  
neque inpudica Colchis intulit pedem;  
non huc Sidonii torserunt cornua nautae,  
laboriosa nec cohors Ulixei. 60  
Iuppiter illa piae secrevit litora genti, 63  
ut inquinavit aere tempus aureum,  
aere, dehinc ferro duravit saecula, quorum 65  
piis secunda vate me datur fuga.

## ***Epode 17***

### *Capitulation to Canidia?*

Iam iam efficaci do manus scientiae,  
supplex et oro regna per Proserpinae,  
per et Dianae non movenda numina,  
per atque libros carminum valentium  
refixa caelo devocare sidera, 5  
Canidia, parce vocibus tandem sacris  
citumque retro solve, solve turbinem.  
movit nepotem Telephus Nereium,  
in quem superbus ordinarat agmina  
Mysorum et in quem tela acuta torserat, 10  
unxere matres Iliae additum feris  
alitibus atque canibus homicidam Hectorem,  
postquam relictis moenibus rex procidit  
heu pervicacis ad pedes Achillei;  
saetosa duris exuere pellibus 15  
laboriosi remiges Ulixei  
volente Circa membra; tunc mens et sonus  
relapsus atque notus in voltus honor.  
dedi satis superque poenarum tibi,  
amata nautis multum et institoribus: 20  
fugit iuventas et verecundus color  
reliquit ossa pelle amicta lurida,  
tuis capillus albus est odoribus;  
nullum a labore me reclinat otium,  
urget diem nox et dies noctem neque est 25  
levare tenta spiritu praecordia.  
ergo negatum vincor ut credam miser,  
Sabella pectus increpare carmina  
caputque Marsa dissilire nenia.  
quid amplius vis? o mare et terra, ardeo, 30  
quantum neque atro delibutus Hercules  
Nessi cruore nec Sicana fervida  
virens in Aetna flamma: tu, donec cinis  
iniuriosis aridus ventis ferar,  
cales venenis officina Colchicis? 35  
quae finis aut quod me manet stipendium?  
effare: iussas cum fide poenas luam,  
paratus expiare, seu poposceris  
centum iuencos, sive mendaci lyra  
voles sonare: 'tu pudica, tu proba 40  
perambulabis astra sidus aureum.'

infamis Helenae Castor offensus vice  
 fraterque magni Castoris victi prece  
 adempta vati reddidere lumina:  
 et tu—potes nam—solve me dementia, 45  
 o nec paternis obsoleta sordibus  
 neque in sepulcris pauperum prudens anus  
 novendialis dissipare pulveres;  
 tibi hospitale pectus et purae manus  
 tuusque venter Pactumeius et tuo 50  
 cruore rubros obstetrix pannos lavit,  
 utcumque fortis exsilis puerpera.  
 ‘quid obseratis auribus fundis preces?  
 non saxa nudis surdiora navitis  
 Neptunus alto tundit hibernus salo. 55  
 inultus ut tu riseris Cotytia  
 volgata, sacrum liberi Cupidinis,  
 et Esquilini pontifex venefici  
 inpune ut urbem nomine inpleris meo?  
 quid proderat ditasse Paelignas anus 60  
 velociusve miscuisse toxicum?  
 sed tardiora fata te votis manent:  
 ingrata misero vita ducenda est in hoc,  
 novis ut usque suppetas laboribus.  
 optat quietem Pelopis infidi pater 65  
 egens benignae Tantalus semper dapis,  
 optat Prometheus obligatus aliti,  
 optat supremo conlocare Sisyphus  
 in monte saxum; sed vetant leges Iovis.  
 voles modo altis desilire turribus, 70  
 modo ense pectus Norico recludere,  
 frustra que vincla gutturi nectes tuo  
 fastidiosa tristis aegrimonia.  
 vectabor umeris tunc ego inimicis eques  
 meaeque terra cedit insolentiae. 75  
 an quae movere cereas imagines,  
 ut ipse nosti curiosus, et polo  
 deripere lunam vocibus possim meis,  
 possim crematos excitare mortuos  
 desiderique temperare pocula, 80  
 plorem artis in te nil agentis exitus?’